

**1986-08-20 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Quantum Beatissimam’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***QUANTUM BEATISSIMAM***

**SUMMUS PONTIFEX IMAGINEM BEATAE MARIAE VIRGINIS,  
SUB TITULO «NUESTRA SEÑORA DE LA CANDELARIA»  
IN SANCTUARIO «LA POPA» VENERATAM, IPSE CORONAT**

Ad perpetuam rei memoriam. – Quantum Beatissima Virgo Maria universo populo catholico cara sit qualique ab eo pietate colatur nemini ignotum, maxime cum Christi Mater et nostra alicuius gentis historiam suis interventibus manifesto signat. Nihil igitur mirum si eius templa, praesertim fama illustrata, crebris Christifidelium concursibus frequentantur, tum ad amorem filiorum significandum, tum ad gratias in vitae necessitatibus petendas. Quod quidem et fidei et moribus et religioso fervori non prodesse multum non potest. Huius rei sibi conscius Venerabilis Frater Carolus Iosephus Ruiseco, archiepiscopus Carthaginensis in Columbia, suum atque cleri et populi proferens votum, a Nobis efflagitavit ut in itinere, quod in Columbiam essemus facturi, imaginem Beatae Mariae Virginis, sub nomine «Nuestra Senora de la Candelaria» in sanctuario «La Popa» antiquitus et sine intermissione usque ad hoc tempus veneratam, coronare dignaremur. Nos vero, persuasum habentes eiusmodi honoris signum posse dilectionem erga Beatam Virginem Mariam augere et bona multiplicare inde oritura sive pro singulis sive pro tota natione, imaginem illam die sexto mensis Iulii hoc anno Nostris manibus sollemniter pretioso diademate redimiimus, coram magna fidelium multitudine gaudium suum significante. Ut huius eventus memoria perpetuaretur, de his Litteris Apostolicis dandis decrevimus, contrariis nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Augusti, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.*

**AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis**